

TITULUS IV.

De sponsa duorum.

1. Ut aliqua mulier dici possit vere *sponsa duorum*, debet concurrere matrimonium mulieris ipsius cum duobus viris. Triplex casus fingi potest, 1^o. de matrimonio quod concurrat cum alio matrimonio, 2^o. de matrimonio quod concurrat cum sponsalibus, 3^o. de sponsalibus, quæ cum sponsalibus concurrant.

2. Relate ad primum casum, certum est post legem Evangelicam, matrimonium considerari ceu contractum *unius cum una*. In conjugibus enim fit plena traditio mutua juris in corpora, juxta illud Apostoli '*non habet vir potestatem corporis sui, sed mulier;*' et viceversa. Hinc condemnatur tum simultanea polygamia, tum polyandria.

3. Et quidem simultanea polyandria qua mulier simul retinet plures viros, legi naturali adversari videtur; opponitur enim præcipuis finibus matrimonii. Experientia siquidem docet, polyandriam opponi procreationi filiorum, quatenus difficilior saltem sit completa et physice ordinata generatio prolis. Absque autem dubio opponitur legitimitati et adsignationi prolis et destruit vel maxime imminuit obligationes parentum circa educationem filiorum. Incertum enim est cujus patris sit nata proles. Hinc penes cultas omnes nationes, ex instinctu naturali, reprobatur et excluditur effrenata cupiditas mulierum, simul habendi plures viros, et solum hoc nequitia monstrum aliquando viguit penes barbaram aliquam gentem.

4. Simultanea polygamia verificatur quando vir plures simul habet uxores.

Si ad fidem attendamus, habemus dogmaticum decretum Tridentini, in sess. 24. *De Ref. matrim. c. 2.* 'Si quis dixerit licere christianis plures habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, A. S.'

5. Quærunto doctores qua lege divina interdicator polygamia.

Adsunt aliqui doctores, qui dicunt, lege ipsa naturali polygamiam prohiberi, quia ex lege ipsa naturali scimus jus uni traditum, alteri concedi non posse.

6. Verum contra hanc opinionem objici potest factum veterum Patriarcharum inter quos erant etiam sanctissimi viri, quique tamen plures retinebant uxores. Et quidem ita loquitur S. Scri-

ptura, ut non solum videatur tolerata inter Hebræos polygamia, sed etiam fuerit plene permissa. Præsertim afferri potest factum David, cui Natan Propheta visus est asserere Deum ipsum plures Davidi dedisse uxores. Huic animadversioni hujus sententiæ patroni respondent, Deum dispensasse in lege naturæ, quæ polygamiam prohibet. Cum vero objiciatur immutabilitas legum naturalium, respondent, Deum quidem non posse dispensare in legibus naturalibus primariis et fundamentalibus, dispensare vero posse, in præceptis secundariis. In quæ præcepta venit etiam illud prohibens polygamiam.

7. Alia sententia tenet 'polygamiam non interdicti jure naturali, sed jure positivo Dei intimato ipsis protoparentibus, statim ab ipso exordio societatis conjugalis'.

Hæc sententia probabilior esse videtur. 1^o. Enim Polygamia non videtur absolute et essentialiter opponi finibus principalibus matrimonii. 2^o. Cum certum sit factum permissionis, seu dispensationis datæ Patriarchis, plures simul retinendi uxores, hæc dispensatio non bene componitur cum jure naturæ. Nam in proprie dicto jure naturali non datur dispensatio. Jus enim naturale fundatur in essentiis rerum, quæ, cum dicant relationem immediatam cum æterna Dei ratione, immutabiles sunt.

8. Quare potius dicendum polygamiam vetitam non esse jure naturali, sed prohiberi ex positiva Dei voluntate, qui inter homines instituit matrimonium ita ut duo essent *una caro*, *Gen. II.* Quæ lex intimata Adamo omnes ligavit. Hinc in Patriarchis et in populo Judaico necessaria fuit dispensatio Dei, ut licita esset polygamia.

9. Hanc vero dispensationem sustulit Christus Dominus, cum revocavit matrimonium ad pristinam institutionem, *Mth. XIX.*, et illud assumpsit ad significandam Incarnationem suam, idest conjunctionem spiritualem cum Ecclesia, *Eph. V.* Hinc posito matrimonio, positæque consummatione per quam vir et mulier fiunt una caro, novum matrimonium neuter ex conjugibus sive licite, sive valide, altero vivente contrahere potest, ob impedimentum dirimens quod *ligaminis* appellatur.

10. Quid vero dicendum si prius matrimonium fuerit solummodo *ratum*, et deinde novum matrimonium celebretur et *consummetur*?

Hanc quæstionem resolvit Alexander III. in c. 3. h. t., ubi quærenti Archiepiscopo Salernitano respondit, primum matrimonium valere, et matrimonium secundum nullius esse valoris, sive prius matrimonium fuerit juramento firmatum, sive non. Ratio est quia nuptias facit *consensus*, non vero *concubitus*. Consonat cap. 31. *De sponsalib. et matrim.* Ex qua doctrina sequitur, impedimentum ligaminis oriri etiam ex solo matrimonio rato, et non consummato. Quia per matrimonium ratum traditur jus mutuum in corpora, et per contractum perficitur sacramentum, quod ipsi contractui legitimo addit robur indissolubilitatis. Quamvis enim plena ratio significationis unionis Christi cum Ecclesia verificetur in consummatione matrimonii rati, tamen in ipso contractu matrimonii, quoniam traditur verum et integrum jus in corpora, idest jus ad consummationem matrimonii, vera et realis ratio significationis unionis Christi cum Ecclesia, idest ratio sacramenti, merito agnoscenda est.

11. Verum Alexander ingerit dubium in postremis verbis capitis, cum insinuat aliquos prædecessores suos aliter aliquando judicasse, quasi nempe diceret, ab aliquibus Romanis Pontificibus non fuisse agnitum impedimentum ligaminis, ortum ex matrimonio tantummodo rato.

12. In explicatione hujus pericopes in varias abeunt Doctores sententias, Covarruvias 2. p. *De matrim. cap. 8. §§ 34.* Barbosa *de Jure Ecclesiastico lib. 1. c. 2. n. 61.* et alii tenent, ante Alexandri III. Pontificatum, et ipsius Pontificatus tempore visum fuisse aliquibus, posterius matrimonium consummatum præferri debere priori matrimonio dumtaxat rato. Invocabatur enim principium '*Vinculum fortius destruit vinculum minus forte*'. Unde in Anglia in diocesi Matinensi, prout eruitur ex cap. ult. h. t. et in aliis etiam regionibus inoleverat consuetudo ut matrimonium ratum dissolveretur, per matrimonium posterius consummatum. Hinc in Tribunalibus ob variam opinionem, etiam diversitas sententiarum quandoque apparuit. Nondum enim per definitionem Concilii, vel Romani Pontificis quæstio *abstracte* et *dogmatice* soluta fuerat. Quare nil mirum si in re dubia et arbitrari, aliqui forsan Romani Pontifices, non quidem condentes legem generalem, aut solemniter ferendo sententiam, sed *in casu aliquo speciali, juxta privatam opinionem, et potius tanquam privati Doctores in facto*, tenuerint prius matrimonium ratum cedere

alteri consummato per copulam. Merito igitur Alexander potuit dicere ab aliquibus suis prædecessoribus aliter judicatum fuisse. Hanc sententiam communiorem appellat Gonzalez in notis isti capiti apposis.

13. Sed contra hanc opinionem observari potest. Utique aliqui Doctores et aliqua consuetudo tenebat matrimonium consummatum posterius solvere vinculum matrimonii solummodo rati anterioris. Attamen non constat hanc sententiam tenuisse ipsos Romanos Pontifices. Nam in antiquis collectionibus Canonum, nulla reperitur Epistola Decretalis, ex qua pateat Romanum Pontificem in judicandis quæstionibus propositis huic opinioni adhæsisse. Id confitetur in cit. loco ipse Gonzalez ejusdem sententiæ patronus.

14. Immo vera indissolubilitas agnita fuerat in Ecclesia Romana in matrimonio rato et non consummato. Nam invaluerat hoc principium '*Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas*', quod traditur in *can. 8. causæ 27. q. 2.*; cui consonat *can. 2. ejusdem q. et causæ*, qui desumptus est ex cap. 3. Responsum Nicolai I. ad consulta Bulgarorum.

Insuper Innocentius III. in c. ult. h. t. reprobans consuetudinem, qua matrimonium posterius consummatum, præferbatur anteriori solummodo rato, eam rationem affert, ne turpis sit pars, quæ suo universo non congruit, simulque inculcat ut Ecclesia Mutinensis debeat sequi quod Sedes Petri docet et tenet. Ergo Romana Ecclesia docebat matrimonium ratum antecedens prævalere posteriori etiam consummato.

15. Insuper decisio quæstionis licet attingat factum speciale, facienda tamen est juxta principia theoretica doctrinæ; hinc naturaliter relationem dicit ad dogma, atque proinde non adeo facile præsumi debet error Romanorum Pontificum in eadem decisione edenda.

16. Altera opinio est eorum qui dicunt, Romanos Pontifices ante Alexandrum III. non definivisse quæstionem *in abstracto, sed de facto* in aliquibus quæstionibus propositis solvisse vinculum matrimonii antecedentis et per dispensationem *in radice* sanasse defectus secundi matrimonii consummati. Siquidem certum est Romanos Pontifices utrumque facere posse. Quoad enim primum, certum est, vinculum matrimonii dumtaxat rati debilius esse præ illo matrimonii consummati, quia absoluta indissolubilitas propria est matrimonii rati et consummati, in quo verificatur completatio

signi seu sacramenti, cui proinde merito applicatur sententia Christi Domini *'quod Deus conjunxit, homo non separet'*. Hinc Romani Pontifices prædecessores Alexandri III. potuerunt solvere vinculum matrimonii rati et ad id faciendum sufficientes rationes habuerunt, tum ut repararetur damnum illatum alteri conjugii ex consummatione matrimonii, et proli fortasse inde enatæ, tum ut scandalum evitaretur, quod ex separatione conjugum ortum fuisset. Quod vero possit matrimonium in radice sanari a Rom. Pontifice, patet ex eo quod nihil impedit, quominus per fictionem juris, dispensatio retrotrahatur ad tempus usque contracti matrimonii.

17. Verum hæc etiam opinio admittenda non videtur; quamvis enim non repugnet, ita peragere potuisse Romanos Pontifices prædecessores Alexandri III. quemadmodum in hac sententia supponitur, tamen præsumi nequit rem reapse taliter se habuisse. Nam 1^o. illis temporibus penes Doctores clara et recepta non erat persuasio de potestate Romani Pontificis solvendi vinculum matrimonii rati, et non consummati, forsitan quia rarissimi erant casus hujus dispensationis. Quando autem potestate Romani Pontificis matrimonium ratum solvebatur, non dicebant Doctores Romanum Pontificem dispensasse, sed potius declarasse nullum fuisse matrimonium celebratum. Hinc quoniam quæstio nondum plene resoluta fuerat, quomodo contingere potuit, ut a quibusdam Rom. Pontificibus aliter judicatum fuerit, idest dispensatum fuerit in priore matrimonio solummodo rato? Deinde 2^o. admitti nequit solutio relate ad posterius matrimonium. Nam sanatio in radice quæ datur a Rom. Pontificibus non conceditur quando impedimentum dirimens est juris divini, sed solummodo quando est juris Ecclesiastici. Jam vero impedimentum ortum ex priore matrimonio rato est juris divini, procedens nempe ex divina institutione. Ergo sanari non poterat in radice secundum matrimonium. Quare dici nequit prædecessores Alex. III. aliter judicasse de duobus matrimoniis in sensu sententiæ expositæ.

18. Tertia sententia ita se habet. Non alia fuit Alexandri III. et suorum prædecessorum opinio de matrimonio dumtaxat rato in concursu cum matrimonio posteriore consummato; dixit vero Alexander aliter judicasse suos prædecessores quia ipsa difficultas proposita ab Archiepiscopo Salernitano hanc responsionem exigebat. Et sane, quando quæstio de concursu matrimonii consummati cum matrimonio solummodo rato præcedenti proposita simpliciter est,

Romani Pontifices invocarunt principium *'Matrimonium facit consensus, non concubitus'*, quin aliquid adderent. Ita in 1^a. collect. Canonum capp. 4. et 6. Sed cur dixit Alexander III. aliter judicatum fuisse a suis prædecessoribus? Quia ita exposcebat difficultas proposita ab Archiepiscopo Salernitano. Videlicet Archiepiscopus videns, aliquando Romanos Pontifices prætulisse secundum matrimonium consummatum, priori solummodo rato, interrogavit quid esset sentiendum. Alexander cathgorice respondit, primum matrimonium præferendum esse posteriori, quamvis aliqui Romani Pontifices aliter judicavissent ob peculiarem rationem facti.

Quænam vero fuit hæc ratio? Respondemus aliquando ista quæstio eisdem Rom. Pontificibus proposita fuit, ut plene constaret de celebratione secundi matrimonii, non vero constaret eodem modo de celebratione primi, et proinde admiserunt secundum matrimonium consummatum, excluserunt prius quod asserebatur solummodo ratum fuisse. Hæc hypothesis præsertim verificari poterat temporibus Alexandri III., cum nempe inter fideles contraheretur matrimonium clandestinum, quod difficilis erat probationis. Hæc explicatio non habet positivum fulcrum in Decretali Alexandri III., sed tamen nihil contra se habet; apte autem et sufficienter explicat loquendi modum Pontificis.

Ex quibus omnibus patet impedimentum ligaminis oriri ex præcedente matrimonio, sive illud fuerit ratum et consummatum, sive fuerit solummodo ratum.

19. Quæritur quænam pœna ab eo incurratur qui post initum matrimonium, eo existente aliud attentat, idest quænam pœna statuta sit contra polygamos.

Pœna quæ antiquitus vigeat exhibetur in cap. 2. h. t. et reducitur ad congruam pœnitentiam duraturam per septennium. Sed pœna hæc cessavit. Publicata autem est constitutio Urbani VIII. *'Magnum'* 20. Junii 1637. In hac constit. statuit Pontifex, fidelem, qui constante primo matrimonio aliud contrahere attentaverit, denunciandum esse S. Inquisitioni ceu suspectum de hæresi, et damnandum esse ad triremes, tradendumque esse Curiaæ sæculari, ut pro gravitate delicti pœnis etiam gravioribus subjiciatur.

Hæc autem constitutio quasi ad terrorem incutiendum edita, non videtur in usu recepta fuisse in Ecclesia. Sane vix decennio post editam eandem Constitutionem Congr. S. Inquisitionis interrogata ab Archiepiscopo Beneventano, qua pœna puniendi essent

polygami, a. 1647 respondit *'Polygamorum pœna, si falsos testes ad suum liberum statum comprobandum non induxissent, post abjuratiōem de vehemēti solet esse damnatio ad trēmes per quinquennium, si vero induxissent, per septennium. Falsi testes ipsi quoque damnantur ad trēmes per quinquennium, aut brevius tempus pro delicti sui gravitate'*. Cf. Ben. XIV. De Syn. Diœc. lib. 9. c. 6. n. 8. Hæc dicta sint de concursu matrimonii posterioris cum matrimonio anteriori.

20. Secundus casus considerandus in titulo est de concursu sponsalium cum matrimonio, qui concursus dupliciter verificari potest. Scilicet agendum est 1^o. de concursu antecedentium sponsalium cum matrimonio subsequenti, 2^o. de concursu sponsalium cum præcedenti matrimonio.

In hoc secundo casu, ut quisque videt, nulla occurrit difficultas. Nam procul dubio matrimonium præexistens dirimit sponsalia subsequētia.

21. Consideremus igitur primum casum.

Quæstio quæ ex isto casu potest oriri, solvitur a Gregorio IX. in c. 31. *De sponsalib. et matrim.*, in quo traditur matrimonium contractum post sponsalia validum esse, non obstantibus sponsalibus. Sponsalia igitur quamvis *illicitum* posterius matrimonium efficiant, illud tamen non dirimunt. In Jure enim distinguitur promissio a traditione. Quando jus alicui est promissum, et deinde alteri traditur, jus cedit ei cui traditum est. A pari in re nostra, plus valet traditio juris in corpus, quam promissio juris ipsius, idest matrimonium prævalet sponsalibus.

Neque dicant non posse alteri tradi, quod est jam alicui tertiæ personæ obligatum, nam obligatio hujusmodi est obligatio justitiæ, quæ proinde actum contrarium illicitum quidem reddit, non autem elidit, præsertim cum justitiæ læsio proprie nihil aliud exigit quam congruam reparationem, quæ reparatio potest etiam aliquo modo sufficienter componi cum statu conjugali. Qui enim frangens fidem datam in sponsalibus, matrimonium cum tertiâ persona contraxit, non repugnat posse reparare conveniente satisfactione injuriam irrogatam personæ cum qua contraxit sponsalia ex. gr. solutione dotis convenientis.

22. Igitur valet matrimonium posterius in concursu cum sponsalibus præcedentibus. At exceptio principium hujusmodi limitat: nisi ex sponsalibus oriatur *impedimentum publicæ honestatis*.

Quid est impedimentum publicæ honestatis? Quamvis solummodo per matrimonium consummatum fiat una caro inter virum et mulierem et per consequens gignatur proximitas sanguinis, inter unum conjugem et consanguineos alterius, tamen quædam propinquitas inter easdem personas oritur etiam, quando tractatus fit matrimonii, vel per contractum matrimonii de præsentī, vel per promissionem de futuro. Hinc ex publica morum honestate visum est indecens esse matrimonium, quod contraheretur ab una ex partibus, quæ tractatum matrimonii inter se habuerunt, cum consanguineis alterius partis. Quia licet non vera affinitas ex tractatu matrimonii oriatur, tamen aliqua animorum conjunctio, et proximitas personarum inducitur.

23. Quare a Jure civili Romanorum *legg. 6. et 8. §§ De gradib. et affinit., et leg. 8. cod. De incest. nuptiis* inductum est, et a legislatione Ecclesiastica recognitum, impedimentum quod vocatum est *'publicæ honestatis'* quasi nempe requisitum, ab honestis populi Christiani moribus. — De hoc impedimento agitur in *cann. 11. 14. caus. 27. q. 2. in Decret. In capp. 4. et 8. De spons. et matrim., in cap. un. eodem tit. in VI., necnon in cap. 3. sess. 24. De Reform. matrim. Trident.*

Hoc impedimentum in eo consistit, ut positis inter duos sponsalibus, vel matrimonio simpliciter rato, vir contrahere nequeat matrimonium cum consanguineis mulieris, mulier nequeat contrahere matrimonium cum consanguineis viri.

24. Impedimentum hujusmodi est dirimens, et quidem jure antiquo matrimonium dirimebat usque ad quartum gradum, sive ortum habuisset ex sponsalibus, sive ex matrimonio rato, oriebatur etiam impedimentum ex sponsalibus et matrimonio invalidis, dummodo invalida non fuissent ex defectu consensus, quia posito consensu locum habuerat conjunctio animorum, et proximitas personarum, ex qua procedit ratio impedimenti.

25. Et quoniam in constituendo hoc impedimento Ecclesia respexit ad propinquitatem personarum inductam tempore positi tractatus matrimonialis, impedimentum hujusmodi persistit et viget, quamvis tractu temporis, sponsalia quomodocumque solvantur, ex. gr. per mortem, per fornicationem, et etiam si solvantur mutuo consensu. Scilicet publica honestas constituit impedimentum perpetuum. Ita innuitur in *cann. 11. et 14. citatis necnon cap. 8. De spons. et matrim. ubi dicitur absolute 'sponsam alterius nullus*